

licosissimo attribui. Vicere demum quæ, neutra earum probata, Tarentum civem Venetum mitti oportere, sententiæ censuerunt, qui auctoritate reipublicæ Federico civitatem conciliaret, commeatumque sufficeret. Itaque Andreas Zancanius, Senatorum suffragiis legatus est ad Tarentinos lectus. atque is antequam navem conscenderet, Alexandri atque Hispaniæ regum legati, itemque Ludovici, Principem & Patres adierunt, eosque, ne se in causam Tarentinorum insinuarent, ne ve quid agerent, monuerunt. quorum intellecta voluntate, ne laborem cum invidia Patres sumerent, Andreas Senatusconsulto retentus, neque postea missus est. Atque illis diebus Ludovici ad Alexandrum scriptas literas Ursini prope urbem interceperant, quibus literis Ludovicus ab Alexandre petebat, uti Patres commonefaceret, a Tarentinis recipiendis abstinerent: ne ve eos augere suas opes, suamque potentiam nimium quantum jam auctam permitteret. Eas illi Senatui literas miserunt, ut quo esset in ipsos animo Ludovicus, Patres inspicerent, qui tantis a republica tamque illustribus affectus beneficiis, a suis tamen moribus non recederet. Zancanio retento Patres, quod cum Tarentinorum civitate illo misso facere decreverant, id cum eorum legatis ipsimet sunt aggressi, ut illos Federico per ejus legatum conciliarent: quod quidem perfecerunt, sponsoresque Tarentinis fuerunt, regem illos in eum quo antea erant, statum restituturum, neque quidquam, proptera quod a regibus Neapolitanis descivissent, civitati succensurum. quibus constitutis rebus, Georgium Francum Senatus scribam, una cum legatis revertentibus Tarentum miserunt, earum rerum firmandarum causa: annusque insequens jam inierat. Illi autem intellecta oratorum suorum literis de se se regi pacandis Senatus voluntate, pridie quam is Tarentum appelleret, aliquanto minus bonis conditionibus, quam illæ erant, de quibus transegerat Senatus, se Federico dediderunt. Eum exitum Tarentinorum obfirmatio habuit.

Jamque in urbe advenarum contagione, invectioneque
syde-

*Morbus
Gallicus.*